

De aetate ordinandorum ita decrevit Nicolaus Papa. (i)
SACRI (inquit) canones sanxerunt ut subdiaconus non ordinetur ante quatuordecim annos, nec diaconus ante viginti quinque, nec presbyter ante triginta. Deinde si dignus fuerit, ad Episcopatum eligi potest: quod nos etiam pari modo servare iubemus. Item Bonifacius. (k). Si quis triginta aetatis non impleverit annos, nullo modo presbyter ordinetur, etsi valde sit dignus: quia & ipse Dominus triginta annorum baptizatus est, & sic coepit docere. (l)

DIVISIO TEXTUS.

Postquam determinavit Magister de sacramento ordinis, hic determinat de conferentibus, & suscipientibus hoc sacramentum: & dividitur in partes duas. In prima determinat de conferentibus; in secunda de suscipientibus, ibi: *Sacri canones sanxerunt ut subdiaconus non ordinetur ante quatuordecim annos &c.* Prima inquit de haereticis, utrum possint ordinare; secundo specialiter de simoniaci: ibi: *De simoniaciis vero non est ambigendum quin sint haeretici.* Prima in tres. In prima ponit auctoritatem ad ostendendum quod haeretici non possunt hoc sacramentum conferre. In secunda ponit auctoritates ad contrarium, ibi: *Contra autem alii sentire videntur.* In tertia solvit, ibi: *Hac autem quidam ita determinant.* Et ponit quatuor solutiones diversorum, ut in littera patet.

De simoniaciis autem non est ambigendum quin sint haeretici. Hic inquit de simoniaciis, & circa hoc duo facit. Primo ostendit qui sunt simoniaci; secundo utrum possint ordinare, ibi: *Differt tamen inter eos qui ordinantur a simoniaciis scienter, & eos qui ignorant.*

QUESTIO I.

HIC est triplex questio. Prima de ordinantibus. Secunda de ordinatis. Tertia de simoniaciis. Circa primum quaeruntur duo.

Primo. Utrum solus Episcopus possit conferre ordinis sacramentum.

Secundo. Utrum haereticus, vel quicumque ab Ecclesia praecisus.

ARTICULUS I.

Utrum tantum Episcopus ordinis sacramentum conferat.

AD primum sic proceditur. Videtur quod non tantum Episcopus ordinis sacramentum conferat. Quia manus impositio aliquid ad consecrationem facit. Sed sacerdotibus qui ordinantur, non solus Episcopus manus imponit, sed sacerdotes assistantes. Ergo non solus Episcopus confert ordinis sacramentum.

2. Praeterea. Tunc unicuique datur potestas ordinis, quando ei exhibetur quod ad actum sui ordinis pertinet. Sed subdiacono datur urceolus cum aqua, manili, & manutergio ab Archidiacono; similiter acolythis candelabrum cum cereo, & urceolus.

(1) Al. in ministris.

Ex Edic. P. NICOLAI. (i) Ex Nicolao non occurrit, sed in Decr. dist. LXXVII. cap. In singulis refertur ex Zoymo, etsi corrupte, cum debeat potius legi non quod Subdiaconus quatuordecim annis fiat, sed quod cum vigesimo annu excesserit (juxta cap. Subdiaconus, & Quicumque, immediate sequens) quatuor annis in subdiaconatus gradu perseveret, ut ex vetusto Gratiani codice, ac Rabano appendix ibi notat: & sic etiam Tom. I. Concilio part. 1. epistola Zoymi ad Hesychium habet ut & apud Rabbanum Lib. I. de institut. clericorum cap. XLII. Tom. X. Bibliotheca PP. videre est. (k) Vel Fabianus in Decretis dist. LXXVIII. cap. 1. (l) Ut etiam in cap. Presbyter ex Concilio Neocesariensi cap. XI. in eadem dist. subjungitur.

ut ex dictis patet, sed gratia, secundum quam ad exequendum ordinem sint idonei: & quia indigent amplissima gratia, ideo sacerdotes cum Episcopo manus imponunt eis qui in sacerdotes promoventur; sed diaconis solus Episcopus.

Ad secundum dicendum, quod Archidiaconus est quasi princeps ministerii, ideo omnia quae ad ministerium pertinent ipse tradit, sicut cereum quo acolythus diacono servit ante Evangelium ipsum portando: & ureolum quo servit subdiacono; & similiter dat subdiacono ea quibus superioribus ordinibus servit: & tamen in illis non consistit principaliter actus subdiaconi, sed in hoc quod operatur circa materiam sacramenti, & ideo characterem accipit in hoc quod datur ei calix ab Episcopo. Sed acolythus accipit characterem ex verbis Episcopi in hoc quod accipit praedicta ab Archidiacono, & magis in acceptione ureoli quam candelabri. Unde non sequitur quod Archidiaconus ordinem conferat.

Ad tertium dicendum, quod Papa, qui habet plenitudinem potestatis pontificalis, potest committere non Episcopo ea quae ad episcopalem dignitatem pertinent, dummodo illa non habeant immediatam relationem ad verum corpus Christi: & ideo ex ejus commissione aliquis sacerdos simpliciter potest conferre minores ordines, & confirmare, ut supra dist. VII. (quest. 1. art. 1. questio. 3.) dictum est; non autem aliquis non sacerdos; nec iterum sacerdos majores ordines, qui habent immediatam relationem ad corpus Christi, supra quod consecrandum Papa non habet majorem potestatem quam simplex sacerdos.

Ad quartum dicendum, quod quamvis sacramentum eucharistiae sit maximum sacramentum in se; tamen non collocat in aliquo officio, sicut ordinis sacramentum: & ideo non est similis ratio.

Ad quintum dicendum, quod ad communicandum alteri quod quis habet, non exigitur solum propinquitas, sed completio potestatis. Sed quia sacerdos non habet completam potestatem in hierarchicis officiis, sicut Episcopus, ideo non sequitur quod possit diaconos facere, quamvis ille ordo sit sibi propinquus.

ARTICULUS II.

Utrum haeretici, & ab Ecclesia praecisi possint ordines conferre.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod haeretici, & ab Ecclesia praecisi non possint ordines conferre. Plus enim est aliquem promovere ad ordines quam aliquem absolvere, vel ligare. Sed haereticus non potest absolvere, vel ligare. Ergo nec ordines conferre.

2. Praeterea. Sacerdos ab Ecclesia separatus potest conficere: quia in eo character indelebiter manet, per quem hoc potest. Sed Episcopus non accipit aliquem characterem in sui promotione. Ergo non est necesse quod episcopalis potestas in eo remaneat post separationem ejus ab Ecclesia.

3. Praeterea. In nulla communitate ille qui a communitate repellitur, potest communitatis officia disponere. Sed ordines sunt quaedam officia Ecclesiae. Ergo ille qui extra Ecclesiam ponitur, non potest ordines conferre.

4. Praeterea. Sacramenta habent efficaciam ex passione Christi. Sed haereticus non continuatur passioni Christi neque per propriam fidem, cum sit infidelis, nec per fidem Ecclesiae, cum sit ab Ecclesia

separatus. Ergo non potest sacramentum ordinis conferre.

5. Praeterea. In ordinis collatione exigitur benedictio. Sed haereticus non potest benedicere, quinimo benedictio sua in maledictionem vertitur, ut patet per auctoritates in littera inductas. Ergo non potest ordines conferre.

Sed contra est, quia aliquis Episcopus in haeresim lapsus, quando reconciliatur, non iterum consecratur. Ergo non amisit potestatem quam habebat ordines conferendi.

Praeterea. Major potestas est potestas conferendi ordines quam potestas ordinum. Sed ordinum potestas non amittitur propter haeresim, vel aliquid hujusmodi. Ergo nec potestas ordines conferendi.

Praeterea. Sicut baptizans exhibet tantum ministerium exterius, ita & conferens ordines, Deo interioriter operante. Sed nulla ratione aliquis ab Ecclesia praecisus amittit baptizandi potestatem. Ergo nec ordines conferendi.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod circa hoc ponuntur in littera quatuor opiniones.

Quidam enim dicunt, quod haeretici quamdiu ab Ecclesia tolerantur, habent potestatem ordines conferendi; non autem postquam ab Ecclesia fuerint praecisi; & similiter nec degradati, & alii hujusmodi: & haec est prima opinio. Sed hoc non potest stare: quia omnis potestas quae datur cum aliqua consecratione, nullo casu contingente tolli potest, sicut nec ipsa consecratio annullari: quia etiam altare, vel chrisma semel consecrata perpetuo sacramenta manent. Unde cum episcopalis potestas cum quadam consecratione detur; oportet quod perpetuo maneat, quantumcumque aliquis peccet, vel ab Ecclesia praecidatur.

Et ideo alii dixerunt, quod praecisi ab Ecclesia qui in Ecclesia potestatem episcopalem habuerunt, retinent potestatem alios ordinandi, & promovendi; sed promoti ab eis hoc non habent: & haec est quarta opinio. Sed hoc etiam esse non potest: quia si illi qui fuerunt in Ecclesia promoti, retinent potestatem quam acceperunt, patet quod exequendo suam potestatem, veram consecrationem faciunt, & ideo vere tribuunt omnem potestatem quae consecratione datur; & sic ordinati ab eis, vel promoti habent eandem potestatem quam & ipsi.

Et ideo alii dixerunt, quod etiam praecisi ab Ecclesia possunt ordines, & alia sacramenta conferre, dummodo formam debitam, & intentionem servent, & quantum ad primum effectum, qui est collatio sacramenti, & quantum ad ultimum, qui est collatio gratiae: & haec est secunda opinio. Sed hoc etiam non potest stare: quia ex hoc ipso quod aliquis haeretico praeciso ab Ecclesia in sacramentis communicat, peccat; & ita factus accedit, & gratiam consequi non potest, nisi forte in baptismo in articulo necessitatis.

Et ideo alii dicunt, quod vera sacramenta conferunt; sed cum eis gratiam non dant, non propter inefficaciam sacramentorum, sed propter peccata recipientium ab eis sacramenta contra prohibitionem Ecclesiae: & haec est tertia opinio, quae vera est.

Ad primum ergo dicendum, quod effectus absolutionis non est alius quam remissio peccatorum, quae per gratiam fit: & ideo haereticus non potest absolvere; sicut nec gratiam in sacramentis conferre; &

iterum quia ad absolutionem requiritur jurisdictio, quam non habet ab Ecclesia præcisus.

Ad secundum dicendum, quod in promotione Episcopi datur sibi potestas quæ perpetuo manet in eo; quamvis dici non possit character, quia per eam non ordinatur homo directe ad Deum, sed ad corpus Christi mysticum; & tamen indelebiter manet sicut character, quia per consecrationem datur.

Ad tertium dicendum, quod illi qui ab hæreticis promoventur, quamvis accipiant ordinem, non tamen recipiunt executionem, ut licite possint in suis ordinibus ministrare ratione illa quam objectio tangit.

Ad quartum dicendum, quod per fidem Ecclesiæ continuantur passioni Christi: quia quamvis in ea non sint secundum se, sunt tamen in ea quantum ad formam Ecclesiæ, quam servant.

Ad quintum dicendum, quod hoc est referendum ad ultimum effectum sacramentorum, ut tertia opinio dicit.

QUÆSTIO II.

Deinde quaeritur de ordinatis: & circa hoc quaeruntur duo.

Primo. Utrum aliquis impediatur propter defectum naturæ.

Secundo. Utrum impediatur propter conditionem fortunæ exterioris.

ARTICULUS I.

Utrum sexus fœmineus impediatur ordinis susceptionem.

1. **A**D primum sic proceditur. Videtur quod sexus fœmineus non impediatur ordinis susceptionem. Quia officium prophetiæ est majus quam sacerdotis officium: quia propheta est medius inter Deum & sacerdotem, sicut sacerdos inter Deum & populum. Sed prophetiæ officium aliquando mulieribus est concessum, ut patet IV. Reg. (cap. xxii.) Ergo & sacerdotii officium eis competere potest.

2. Præterea. Sicut ordo ad quandam perfectionem pertinet, ita & prælationis officium, & martyrium, & religionis status. Sed prælatio committitur mulieribus in novo testamento, ut patet de Abbatissis, & in veteri, ut patet de Debbora quæ judicavit Israel, Judicum iv. competit etiam eis martyrium, & religionis status. Ergo & ordo Ecclesiæ.

3. Præterea. Ordinum potestas in anima fundatur. Sed sexus non est anima. Ergo diversitas sexuum non facit distinctionem in receptione ordinum.

Sed contra est quod dicitur I. Tim. 11.12. *Mulierem docere in Ecclesia non permitto, nec dominari in virum.*

Præterea. In ordinandis præexigitur corona, quamvis non de necessitate sacramenti. Sed corona, & tonsura non competit mulieribus, ut patet I. Corinth. xi. Ergo nec ordinum susceptio.

QUÆSTIUNCULA II.

1. **U**terius. Videtur quod pueri, & qui carent usu rationis, non possint ordines suscipere. Quia, ut in littera dicitur, sacri canones in suscipientibus ordines certum ætatis tempus determinaverunt. Sed hoc non esset, si pueri recipere possent ordinis sacramentum. Ergo &c.

2. Præterea. Sacramentum ordinis est dignius quam matrimonium. Sed pueri, & alii carentes usu rationis non possunt contrahere matrimonium. Ergo nec ordines suscipere.

3. Præterea. Cujus est potentia, ejus est actus,

secundum Philosophum in Lib. de somno, & vigilia (cap. 1.) Sed actus ordinis requirit usum rationis. Ergo & ordinis potestas.

Sed contra. Ille qui ante annos discretionis est promotus ad ordines, sine iteratione ipsorum quandoque in eis conceditur ministrare, ut patet Extra de clerico ordinato per saltum. Hoc autem non esset, si ordinem non suscepisset. Ergo puer potest ordinem suscipere.

Præterea. Alia sacramenta in quibus character imprimitur, possunt pueri suscipere, ut baptismum, & confirmationem. Ergo pari ratione ordinem.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam questionem, quod quædam requiruntur in recipiente sacramentum quasi de necessitate sacramenti, quæ si desint, non potest aliquis suscipere neque sacramentum, neque rem sacramenti; quædam vero requiruntur non de necessitate sacramenti, sed de necessitate præcepti propter congruitatem ad sacramentum; & sine talibus aliquis suscipit sacramentum, sed non rem sacramenti. Dicendum ergo, quod sexus virilis requiritur ad susceptionem ordinis non solum secundo modo, sed etiam primo. Unde etsi mulieri exhibeantur omnia quæ in ordinibus fiunt, ordinem non suscipit: quia cum sacramentum sit signum, in his quæ in sacramento aguntur, requiritur non solum res, sed significatio rei; sicut dictum est, quod in extrema unctione exigitur quod sit infirmus, ut significetur curatione indigens. Cum ergo in sexu fœmineo non possit significari aliqua eminentia gradus, quia mulier statum subjectionis habet; ideo non potest ordinis sacramentum suscipere. Quidam autem dixerunt, quod sexus virilis est de necessitate præcepti, sed non de necessitate sacramenti: quia etiam in Decretis fit mentio de diaconissa, & presbytera. Sed diaconissa dicitur quæ in aliquo actu diaconi participat, sicut quæ legit homiliam in Ecclesia; presbytera autem dicitur vidua, quia presbyter idem est quod senior.

Ad primum ergo dicendum, quod prophetia non est sacramentum, sed donum Dei; unde non exigitur ibi significatio, sed solum res. Et quia secundum rem in his quæ sunt animæ, mulier non differt a viro, cum quandoque mulier inveniatur melior quantum ad animam multis viris; ideo donum prophetiæ, & alia hujusmodi potest accipere, sed non ordinis sacramentum.

Et per hoc patet solutio ad secundum, & tertium. De abbatissis tamen dicitur, quod non habent prælationem ordinariam, sed quasi ex commissione propter periculum cohabitationis virorum ad mulieres. Debbora autem præfuit in temporalibus, non in sacerdotalibus, sicut & nunc mulieres possunt temporaliter dominari.

SOLUTIO II.

Ad secundam questionem dicendum, quod per pueritiam, & alios defectus, quibus tollitur usus rationis, præstatatur impedimentum actui: & ideo omnia illa sacramenta quæ actum requirunt suscipientis, talibus non competunt, sicut penitentia, matrimonium, & hujusmodi. Sed quia potestates infusæ sunt priores actibus, sicut & naturales, quamvis acquisitæ sint posteriores; remoto autem posteriori non tollitur prius: ideo omnia sacramenta in quibus non requiritur actus suscipientis de neces-

sitate sacramenti, sed potestas aliqua spiritualis divinitus datur, possunt pueri suscipere, & alii qui usu rationis carent; hac tamen distinctione habita, quod in minoribus ordinibus requiritur discretionis tempus de honestate propter dignitatem sacramenti, sed non de necessitate præcepti, neque de necessitate sacramenti. Unde aliqui, si necessitas adsit, & spes profectus, ad minores ordines possunt ante annos discretionis promoveri sine peccato, & suscipient ordinem: quia quamvis tunc non sint idonei ad officia quæ eis committuntur, tamen per assuetudinem idonei reddentur. Sed ad majores ordines requiritur usus rationis & de honestate, & de necessitate præcepti propter votum continentiæ quod habent annexum, & quia etiam eis sacramenta tractanda committuntur. Sed ad episcopatum, ubi in corpus mysticum accipitur potestas, requiritur actus suscipientis curam pastoralem, & ideo est etiam de necessitate consecrationis episcopalis quod usum rationis habeat. Quidam autem dicunt, quod ad omnes ordines requiritur usus rationis de necessitate sacramenti; sed eorum dictum ratione, vel auctoritate non confirmatur.

Ad primum ergo dicendum, quod non omne quod est de necessitate præcepti, est de necessitate sacramenti, ut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod matrimonium causat consensus, qui sine usu rationis esse non potest; sed in receptione ordinis non requiritur aliquis actus ex parte recipientis, quod patet ex hoc quod nullus actus ex parte eorum exprimitur in eorum consecratione: & ideo non est simile.

Ad tertium dicendum, quod ejusdem est actus, & potentia; sed tamen aliquando potentia præcedit, sicut liberum arbitrium usum suum; & sic est in proposito.

ARTICULUS II.

Utrum servitus impediatur aliquem a susceptione ordinis

1. **A**D secundum sic proceditur. Videtur quod servitus non impediatur aliquem a susceptione ordinis. Subjectio enim corporalis non repugnat prælationi spirituali. Sed in servo est subjectio corporalis. Ergo non impeditur quin debeat suscipere prælationem spirituales, quæ in ordine datur.

2. Præterea. Illud quod est occasio humilitatis, non debet impedire susceptionem alicujus sacramenti. Sed servitus est hujusmodi: unde Apostolus consulit quod si aliquis possit, magis utatur servitute, I. Corinth. vii. Ergo non debet impedire a promotione ordinis.

3. Præterea. Magis est turpe clericum in servum vendi, quam servum in clericum promoveri. Sed licite clericus in servum vendi potest: quia Episcopus Nolanus, scilicet beatus Paulinus, seipsum in servum vendidit, ut in Dialogis legitur (Lib. III. cap. 1.) Ergo multo fortius potest servus in clericum promoveri.

4. Sed contra. Videtur quod impediatur quantum ad necessitatem sacramenti. Quia mulier non potest suscipere sacramentum ratione subjectionis. Sed major subjectio est in servo: quia mulier non datur viro in ancillam, propter quod non est de pedibus sumpta. Ergo & servus sacramentum non suscipit.

5. Præterea. Aliquis, ex quo suscipit ordinem, teneri in ordine ministrare. Sed non potest simul ministrare domino suo carnali, & in spirituali mi-

nisterio. Ergo videtur quod non possit ordinem suscipere, quia dominus debet conservari indemnis.

QUÆSTIUNCULA II.

1. **U**terius. Videtur quod propter homicidium aliquis non debeat prohiberi a sacris ordinibus. Quia ordines nostri sumperunt initium a levitarum officii, ut in præcedenti dist. dictum est. Sed levitæ consecraverunt manus suas in sanguinis effusione fratrum suorum, ut patet Exod. xxxii. Ergo & in novo testamento non debent aliqui a susceptione ordinum prohiberi propter sanguinis effusionem.

2. Præterea. Propter actum virtutis nullus debet impediri ab aliquo sacramento. Sed aliquando sanguis effunditur per justitiam, sicut a iudice; & peccaret habens officium, si non effunderet. Ergo non impeditur propter hoc a sacramenti susceptione.

3. Præterea. Pœna non debetur nisi culpæ. Sed aliquis sine culpa quandoque homicidium committit, sicut se defendendo, vel etiam casualiter. Ergo non debet incurrere irregularitatis pœnam.

Sed contra hoc sunt plura canonum statuta; & Ecclesiæ consuetudo.

QUÆSTIUNCULA III.

1. **U**terius. Videtur quod illegitime nati non debeant impediri a susceptione ordinum. Quia filius non debet portare iniquitatem patris. Portaret autem, si propter hoc impediretur ab ordinibus suscipiendis. Ergo &c.

2. Præterea. Magis impeditur aliquis propter defectum proprium quam alienum. Sed a susceptione ordinum propter illicitum concubitum suum non semper aliquis impeditur. Ergo nec propter illicitum concubitum patris sui.

Sed contra est quod dicitur Deuter. xxiii.2. *Manzer non ingreditur, hoc est de scorto natus, (1) Ecclesiam Dei usque in decimam generationem.* Ergo multo minus debent promoveri ad ordines.

QUÆSTIUNCULA IV.

1. **U**terius. Videtur quod propter defectum membrorum non debeat aliquis impediri. Quia afflictio non debet addi afflictio. Ergo non debet privari ordinis gradu propter pœnam corporalis defectus.

2. Præterea. Plus exigitur ad actum ordinis integritas discretionis quam integritas corporis. Sed aliqui possunt promoveri ante annos discretionis. Ergo & cum corporis defectu.

Sed contra est quod tales prohibebantur a ministerio veteris legis. Ergo multo fortius debent in nova lege prohiberi.

De bigamia dicitur in tractatu de matrimonio dist. xxvii.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam questionem, quod in susceptione ordinis mancipatur homo divinis officiis. Et quia nullus potest alteri dare quod suum non est, ideo servus qui non habet potestatem sui, non potest ad ordines promoveri; si tamen promoveretur, ordinem suscipit: quia libertas non est de necessitate sacramenti, licet sit de necessitate præcepti; cum

(1) Vulgata: *Non ingreditur Manzer, hoc est de scorto natus, in Ecclesiam Domini usque ad &c.*